



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum Christus aliquid ab homine didicerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Vtrum Christus aliquid ab homine didicerit.

80



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 2. quod inuenerunt eum in templo in medio Doctorum: interrogantem illos, & respondentes: interrogare vero, & respondere est addiscere. Ergo Christus aliquid didicit ab hominibus.

2. Præterea, Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius, quam acquirere à rebus sensibilibus: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu, in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem ex rebus sensibilibus, ut dictum est. * Ergo multo magis poterat accipere scientiam, addiscendo ab hominibus.

3. Præterea, Christus secundum scientiam experimentalem non omnia à principio sciuit, sed in ea profecit, ut dictum est. * Sed quilibet audiens sermonem significatum alicuius, potest addiscere, quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere, quæ secundum hanc scientiam nesciebat.

Sed contra est, quod dicitur Isa 55. Ecce testem populus dei, ducem ac præceptorem gentibus. Præceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis.

Respondendum dicendum, quod in quolibet genere id, quod est primum mouens, non mouetur secundum illam speciem motus: sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitutus est à Deo caput Ecclesie, quinimo omnium hominum (ut supra dictum est) * ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam, ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Et ideo non fuit conueniens eius dignitati, ut à quocunque homine doceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Origenes * dicit super Lucam, Dominus interrogabat, non ut aliquid addiceret, sed ut interrogatus erudiret. Ex vno quippe doctrinae fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter. Unde & ibidem in Euangelio sequitur, quod stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.

Ad secundum dicendum, quod ille, qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam à speciebus intelligibilibus, quæ sunt in mente ipsius, sed mediante vocibus sensibilibus, tanquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatae, sunt signa intellectus scientie ipsius, ita creaturæ à Deo conditæ, sunt signa sapientie eius. Unde dicitur Eccles. 1. quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignus est doceri à Deo, quam ab homine: ita dignus est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam.

Ad tertium dicendum, quod Iesus proficiebat in scientia experimentali, sicut & in ætate, ut dictum est. * Sicut autem etis opportuna requiritur, ad hoc quod homo accipiat scientiam per inuentionem, ita etiam ad hoc, quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem nihil fecit, quod non congrueret eius ætati: & ideo audiendis doctrinae sermonibus non accommodauit auditum, nisi illo tempore, quo poterat, etiam per viam experientie, talem scientia gradum attingisse.

Unde Gregorius * dicit super Ezechielem: Duodecimo anno ætatis sue interrogare dignatus est homines in terra, quia, iuxta rationis usum, doctrinae sermo non suppetit nisi in ætate perfecta.

* *

Duplex est modus acquirendi scientiam, scilicet per inuentionem & per disciplinam, in qua magister, & doctor esse potest homo, aut Angelus: quæ uis ergo D. Thomas art. 1. soluendo argumenta, obiter dixerit, Christum inuentione propria hanc scientiam acquisiuisse, in hoc & sequenti articulo exponit, an etiam per disciplinam aliquid ab homine, vel angelo didicerit, & hic negat, aliquid didicisse ab homine, quia non deest supremum Doctorem à discipulis doceri, Christus autem est supremus Doctor hominum, Isa. 55. & Ioan. 18. Sed dici posset, Christum esse datum hominibus, ut eos doceret, & illuminaret in doctrina, & veritatibus fidei, ad salutem animarum pertinentibus, non vero in aliis scientiis & doctrinis, nunquam enim homines docuit Physicam, aut Mathematicam, &c. Non est autem inconueniens, Doctorem in vno supremo genere scientiarum, doceri à discipulo de al quibus inferioribus rebus. Nihilominus conclusio D. Tho. recepta est ab omnibus Theologis, & eam indicant Patres omnes, ubique de scientia animæ Christi loquuntur, quia, quamuis illud, quod in contrarium obicitur, non repugnet, hoc tamen magis deuit, præsertim propter dignitatem personæ Christi, quæ cum sit æterna Dei sapientia, non debuit ab hominibus doceri, unde Ioan. 7. dicebant Iudei: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Et Marci 6. Mirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia, & quæ est hæc sapientia, quæ data est illi?

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.



Quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus ab angelis scientiam acceperit. Dicitur enim Luc. 22. quod apparuit Christo Angelus de celo, confortans eum. Sed confortatio sit per verba confortatoria docentis, quæ secundum illud Job 4. & c. docuisti plurimos, & manus lassas roborasti, pacillantes confirmauerunt sermones tuos. Ergo Christus ab Angelis docens est.

2. Præterea, Dionysius * dicit 4. Cælest. hierarch. Videri enim quod & ipse Iesus, super celestium substantiarum supersubstantialis substantia, ad nostram intransigibilem uenit, obediens subiecitur Patri & Dei per angelos formationibus. Videtur igitur, quod ipse Christus ordinationi legis diuine subiaci voluerit, per quam homines, mediantibus angelis, eruduntur.

3. Præterea, Sicut corpus humanum naturali ordine subicitur corporibus celestibus: ita etiam humana mens angelicis mentibus. Sed corpus Christi subiectum fuit impressionibus celestium corporum, passus est enim calorem in ætate, & in hyeme frigus, sicut & alias humanas passiones. Ergo etiam eius mens humana subiebat illuminationibus supersubstantialium spirituum.

Sed contra est, quod Dionysius * dicit 7. cap. Cælest. hier. quod supremi Angeli ad ipsum Iesum questionem faciunt, diuinitus illius operis, & pro nobis assumptæ carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet. Non est autem eiusdem docere, & doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab Angelis.

Respondendum dicendum, quod sicut anima humana media est inter spirituales substantias & res corporales, ita duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus: alio modo per scientiam imditam siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Vtroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem, ad quam